

et quatenus sunt externa, collegarum oculis
subiici debent; si hoc, causae irreleuantiae
cum responsione producentis ad eas recensem-
antur diiudicenturque ex defectu vis proban-
di vel in relatione ad productum, vel in re-
latione ad articulum, cuius probatio per do-
cumentum intenditur; quoad 5) admissibilitas
iuramenti delationis negatur vel ob praeten-
sam desertionem, quo casu obtinet, quod
ad 1) suppeditauimus, vel ob irreleuantiam
articuli, de quo ad 6) sumus dicturi, vel
quia probationi directo contraria, quo casu
cum probatione debent conferri articuli re-
probatorii, quorum intuitu iuramentum de-
latum etc. admissibilitas relationis iuramenti
dependet ex qualitate facti controuersi, vtrum
nimirum relaturi sit proprium, nec ne? si
enim prius, relatio locum non habet, secus
si factum sit commune vel alienum; probatio
pro exoneranda conscientia vix vnquam de-
negatur; quoad 6) praelegat articulum eum-
que conferat cum themate probando, quod
aut ex libello et litis contestatione, aut ex
exceptione quadam peremptoria actorisque re-
plica ad eam eliciendum, qua vero in re nimia
euitetur scrupulositas, quamquam scrupulo-
siorem intuitu articulorum alterius conscien-
tiae commissorum, quam reliquorum, esse li-
ceat; quoad 7) itidem praelegat interrogato-
ria ob irreleuantiam in dubium vocata et articu-
los, in quorum illa illustrationem confecta,
quo